

*De modo et Ordine Insurrectionis, tempore ingruentis necessitatis et hostilis impetus; ac etiam Contributionis et subsidii Annonarii, ex parte Regnorum Croatiae et Sclavoniae; instituendo.*

Articulus 85.

Regnum Croatiae et Sclavoniae, quoad defensionem Patriae, refert se ad Art. 4. Anni 1538. et Art. 12. Anni 1601. aliosque in medio sui superinde conditos:

§. 1. Cum ea declaratione; ut dum hostis cum majoribus copiis viscera illius Regni invaderet, vel vero aliquod Fortalitium ejusdem Regni obsideret, mox universi Domini Magnates, Nobiles et alii Regnicolae, sub poena in Art. 21. constitutionum Soproniensium, Anni 1622. declarata, proportionaliter exigenda, vel alia in Congregatione illius Regni concludenda, ad demandationem et praemonitionem Domini Bani, penes Banderium Regium ac Banale, intra limites Regni illius viritum insurgere; et insuper Domini Terrestres, ex parte sua, a qualibet una vel duabus Partibus, prout necessitas postulaverit, Equitem unum bene instructum et ex parte subditorum suorum, similiter peditem unum bene armatum: Majore vero necessitate illius Regni exigente, quintam subditorum suorum partem; ac tandem in extrema Regni illius necessitate, prout videlicet illi Regno in Congregatione necessarium visum fuerit, tertiam quoque subditorum partem; in communem Patriae suae defensionem, penes se levare debeant.

§. 2. In Partibus vero Transcolapianis Regni Croatiae et Maritimis, aliisque non dicatis; non solum Domini Terrestres adinstar aliorum Regnicolarum, cum apparatu et copia, qua poterint, in tali necessitate, pro defensione Patriae suae insurgere; sed etiam in majori, vel extrema Patriae et Regni illius necessitate, ipsi quoque decimam, vel etiam quintam, aut tertiam subditorum partem, prout necessitas urserit, in defensionem suae Patriae submittere teneantur.

§. 3. Et ab hac communi Patriae ipsorum defensione; nec Domini Praelati, neque Capitula, nec Religiosi Possessionati sint exempti: verum adinstar aliorum Regnicolarum Equites ac Pedites subministrare; et insuper Capitula, Religiosi Conventus et Collegia; pro divinis peragendis, unam vel alteram de medio sui Personam sacris initiatam et ad id aptam, ex quolibet Capitulo, Collegio et Conventu expedire; et singuli Canonici Ecclesiae Zagrabiensis, domi remanentes, loco personarum suarum, singulos Equites submittere debeant.

§. 4. Indivisi Regnicolae unum de medio sui expedire; Libertini etiam Dominorum Terrestrialium et Praediales Ecclesiarum, penes Dominos Terrestres, ad rationem ipsorum insurgere, ac Liberae quoque Civitates, juxta limitationem illius Regni concurrere; et Nobiles etiam unius Sessionis et Armalistae; modo ibidem limitando insurgere sint obligati.

§. 5. Imo non solum Regnicolae; militesque Banales et Regni, sed etiam alii stipendiarii milites Confiniorum Croaticorum, Maritimorum et Sclavonicorum, a Vicinis Provinciis stipendia merentes (salva tamen necessaria Praesidiorum Custodia) nec non Sclavi, Praedaucii et Valachi in Confiniis illis degentes, tali in necessitate in defensionem Regni illius, personaliter concurrere; et in hujusmodi insurrectione, Domini Generales illarum Partium, cum Domino Bano illius Regni, bonam correspondentiam observare debeant.